

plerumque ex inani cucurbita factæ, ideoque levissimi ponderis sunt; ita venter sobrius nunquam gravat hominem. Calceamenta peregrini, constantia sunt ejusdem. In calceis consistit et firmiter ambulat homo: constantia armatus homo persistit, in virtutis via, licet aspera, et currit viam mandatorum Dei. Calceus extrema et infima vestis, est perseverantia, quæ claudit justorum vitam et virtutibus eorum coronidem imponit. Inutilis fit equus, cum amittit unguam; inutilis fit homo, cum deficit a constantia. Unde S. Hieronymus, epist. X. ad Furiam ait: *Non queruntur in Christianis initia, sed finis*. Viaticum peregrini est Dei verbum, honorum operum merita; sacramentum eucharistiæ; de quibus ait S. Basilius, de leg. I. gentil. *Ad futuri sæculi, cujus non est finis, possessionem viaticum tibi para.*

VII. Peregrinus perpetuo cogitat patriam, ad patriam anhelat, cætera parvi æstimat, nec in iis immoratur, ingemiscit potius ob patriæ distantiam et itineris moram. Ita: «Fideli homini, (inquit S. Augustinus, in Psal. CXLV.) et peregrino in sæculo nulla est jucundior recordatio, quam civitas illius, unde peregrinatur.» Et S. Bernardus, ser. VII. de quadr. «Peregrinus via regia incedit, non declinat ad dexteram neque ad sinistram. Si nubentes aut choros ducentes aut aliud quodlibet facientes videat, nihilominus transit, quia peregrinus est et non pertinet ad eum de talibus: ad patriam suspirat, ad patriam tendit, etc.» Exemplum vel figura potius talium peregrinorum sunt Hebræi qui abducti ab Jerusalem in captivitatem Babylonicam, cum a Babyloniis juberentur modulari cantica sua, responderunt: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Si oblitus fuerit tui Jerusalem, oblivioni detur dextera mea, adhæreat lingua faucibus meis, q. d. arescat dextera mea, qua pulsavero instrumentum: muta fiat lingua mea, qua cecinero, Ps. CXXXVI. Nam ut recte Augustinus, in Psalm. CXLVIII. ait: Qui non gemit peregrinus, non gaudebit civis, quia desiderium non est in illo.*

Vidimus, auditores, conditiones peregrini: superest nunc ut nos peregrinorum habitum induamus si volumus magnum illum peregrinum Christum comitem esse itineris nostri. Hunc vero si habuerimus, secure perveniemus cum Cleopha ad patriam. Sanct. Olympius abbas, uti narrat Joannes Moschus, in prato spiri. cap. XII. rogatus a quodam, qua ratione vitam suam recte instituere posset ad consequendam beatitudinem, respondit: *Ubique æstima te peregrinum et ubicumque sederis, dic: Peregrinus sum. Fac tu Christiane hoc et vives.*

CONCIO V.

HOSPITALITAS SUADETUR.

I. A Scriptura. — II. Ab exemplo patrum veteris legis — III. Ab exemplo patrum novæ legis. — IV. Ab exemplo paganorum et barbarorum. — V. A brutis animantibus. — VI. A præmio et mercede hospitalium. — VII. A pœna inhospitalium.

THEMA.

Coegerunt illum dicentes: Mane nobiscum Domine
Luc. XXIV.

Verbum apostoli est, I. Corinth. IV. *Non in sermone est regnum Dei, sed in virtute*. Cujus dieti veritas apparet in hodierno evangelio, ubi vidimus discipulos duos parum quidem in lege fuisse eruditos, in virtute tamen et bonorum operum studio fuisse præcellentes, eoque medio consecutos Christum, cæli regem. Non noverunt Dominum secum ambulans, etiam dum Scripturas illis aperiret: agnoverunt invitatum, et amanter a se pastum: tardi erant ad intelligendum, et agnosendum Dominum, sed non tardi ad amandum etiam ut peregrinum: quem ergo per sermonem et Scripturarum cognitionem deprehendere non poterant, deprehenderunt per virtutem hospitalitatis. Præstat igitur virtute, quam sermone excultum esse; præstat charitate, quam scientia excellere; præstat legis factorem, quam auditorem esse quia non in sermone, sed in virtute est regnum Dei. Intuemur in his discipulis præclarum hospitalitatis exemplum, et dicimus peregrinos ad hospitium non solum invitandos esse, sed etiam trahendos. Cæterum ut hæc virtus cordi nostro fortius imprimatur, audiemus consiliarios, qui eandem suadent.

I. Primus est Scriptura sacra, præsertim novi Testamenti. Audiamus hac de re primarios tres apostolos Petrum, Paulum, Joannem. Imprimis Paulus ad Romanos XII. vult esse Christianos *hospitalitatem sectantes, persequentes*, ut nimirum magna contentione virtutem hanc amplectantur et peregrinos avidi expectent ac nolentes cogant divertere ad se. Rursum ad Hebr. c. XIII. *Hospitalitatem*, inquit, *nolite oblivisci, per hæc enim latuerunt quidam, angelis hospitio receptis*, hoc est latenter angelos acceperunt. Idemque rursum quasi rem summi momenti ad finem epistolæ similibus verbis inculcat ibidem: *Beneficentiæ autem et communionis nolite oblivisci*. Quam serio enim Davidem præcepit ducibus exercitus sui ad prælium exeuntibus: *Servate mihi puerum Absalon*, II. Reg. XVIII. tam serio hic apostolus commendare nobis videtur: *Suscipite et servate mihi pauperes et peregrinos, nolite hoc oblivisci.*

Deinde S. Petrus, epist. I. cap. IV. *Estote*, inquit, *hospitales invicem sine murmuratione*. Scribit hoc ad Ponticos, et vicinos populos. De Ponto autem scribit Plin. l. VI. c. I. *Pontus Euxinus ante ab inhospitali feritate Axinus appellatus, postea a contrario per cavillationem Pntus Euxinus* (id est hospitalis) appellatur, inquit Ammianus, l. II. et Ovidius, l. de Ponto: *Quem tenet Euxini mendax cognomine Pontus*. Ergo inhospitali et axino Ponto præcipit S. Petrus, ut sit hospitalis atque euxinus; et quidem patienter, *sine murmuratione*, solum enim hospites facile conqueri, de advenarum multitudine, mora, sumptu, edacitate, importunitate, etc. quemadmodum faciebant Pontici. Nec dubium, quin vere euxini effecti sint, post hæc Petri admonitionem. Denique Sanctus Joannes, in epistola tertia laudat Caium sibi familiarem ob hospitalitatem, et confirmat in proposito; reprehendit vicissim Diotrophem ob inhospitalitatem. Ad illum sic scribit: *Charissime fideliter facis* (id est, christiane facis) *quidquid operaris in fratres et hoc in peregrinos, qui testimonium reddiderunt charitati tuæ in conspectu Ecclesiæ*, subditque: *Nos ergo debemus suscipere hujusmodi ut simus cooperatores veritatis: Græce, debemus occupare,prehendere, ut vel detinere hujusmodi, quo modo scilicet discipuli hodierni coegerunt Christum ad se divertere. De hoc vero ita: Diotrophes non recipit nos. Propter hoc, si venero, commonebo ejus opera, quæ facit, etc.* Ergo quantum boni odoris spargit hospitalitas, tantum mali et tetri gignit inhospitalitas.

II. Secundus est exemplum patrum veteris legis. Celebratur imprimis Abraham, Gen. XVIII. qui sedens in ostio tabernaculi sui in ipso fervore diei, vidensque tres viros (erant autem angeli) currit in occursum eorum et adoravit eos dixitque: *Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum, sed offeram parvillum aquæ et lavate pedes vestros, et requiescite sub arbore, ponamque buccellam panis, et confortate cor vestrum*. Festinavit deinde ad Saram dixitque ei: *Accelera tria sata similæ et commisce, et fac subcinericios panes*. Ipse vero ad armentum cucurrit et tulit inde vitulum tenerimum et optimum, deditque Saræ coquendum, necnon butyrum et lac, et apposuit eis: ipse vero stabat juxta eos sub arbore quasi ministrans et incitans eos ad prendendum: quo in facto multa sane animadversione digna sunt. Primo enim tabernaculi sui ostia aperta habet, ut notat Chrysost. hom. VII. in Luc. de Laz. non timens fures deprædantes, sed optans viatores, qui, quæ bona habebat, acciperent in cælum transferenda; secundo, ante ostium sedebat, inquit Ambros. l. I. de Abraham, c. V. in meri-

die, urgente solis ardore, quando alii requiescebant, hospitum explorans adventum, etc. tertio, domo egrediebatur, *pauperum venator effectus*, inquit S. Chrysost. ser. XXI. in ep. ad Roman. *nec ita lætatur venator prædam capiens, sicut ille inveniens pauperem, etc.* quarto, quamvis trecentos decem et octo haberet vernas, non alium tamen misit, sed cursu ipse ad boves contendit et pinguiorem vitulum attulit, commendans non ancillæ alicui sed ipsimet Saræ, ut illa etiam sua opera in pauperes collocaret. Denique, *adstabat centenarius comedentibus illis*, inquit Chrysost. etc.

Post hunc celebratur Loth nepos Abrahæ, Gen. XIX. qui eandem virtutem haud dubie a patre didicit, nam et ipse præ foribus civitatis sedit hospites expectans, et cum vidisset duos, (erant autem et ipsi angeli) *surrexit et ivit obviam eis, adoravitque pronus in terram et dixit: Obsecro domini, declinate in domum pueri vestri et manete ibi; lavate pedes vestros et mane proficiscimini viam vestram. Qui dixerunt: Minime, sed in platea manebimus. Compulit illos oppido, ut diverterent ad eum; ingressisque domum illius, fecit convivium et coxit azyma et comederunt*. Ecce: «Loth conversans in medio impiorum Sodomitorum, nec vespere discedebat a foribus civitatis, (inquit Chrys.) sed manebat ne forte thesaurum amitteret ex hospitalitate: deinde obviam procedebat hospitibus, et compulit ad se divertere.» Non dissimilis fuit S. Job qui, ut notat Orig. l. II. in Job, ideo facultates suas conservabat, ut pauperibus communicaret. Propterea apud eum nunquam pauper fortis mansit: nunquam vacuus ab eo exivit; ipse nunquam buccellam suam comedit solus, de velleribus ovium suarum pauperes vestivit: *Foris non mansi peregrinus, ostium meum viatori patuit, ut scribit ipse, c. XXXI.*

III. Tertius est exemplum patrum novæ legis. Sane in primitiva Ecclesia mire floruit hospitalitas adeo ut Tertullianus, lib. de præscrip. c. X. hæc tria numeret catholicæ fidei et unionis symbola, communicationem pacis, appellationem fraternitatis et contessionem hospitalitatis; quæ, certum aliquod signum erat, ex quo noscebatur aliquis esse christianus, indeque ut talis hospitio exciperetur a Christianis. Hoc signum cum ab hæreticis et gentilibus adulteratum et dolose usurpatum esset (uti impostor quidam peregrinus nomine fecit qui Christianum se fingens, multam corrasit pecuniam, teste Luciano, quemadmodum alibi diximus) a catholicis sæpe mutatum est. Tandemque in Concilio Nicæno ejus loco litteræ institutæ, quæ formata dicebantur et subscriptionem continebant

quatuor nam litterarum : Pater, Filius, Spiritus sanctus. Patet idem ex vita SS. Praxedis, et Pudencianæ sororum, quæ omnes Christianos hospitio excipiebant, et ex vita Sancti Paconii, qui visa Christianorum Thebanorum in commilitones hospitalitate et charitate, cum adhuc militaret in castris Licinii, ex gentili in Christianum conversus est, tantusque vis evasit, quantum omnes jam mirantur.

Quin etiam ante sexcentos adhuc annos fuit hospitalitas illa in pretio, imo in præcepto. Etenim D. Burkhardus episcopus Wormatiensis, qui vixit sub annum Dom 1020. lib. I. decret. cap. CXIV. interrog. LXXI. docet episcopos in solemnibus parochiarum visitatione, in qua de gravibus criminibus inquirunt, ex officio quasi de crimine interrogare debere, num in parœcia essent, qui ad se venientibus peregrinis aut viatoribus hospitium negarent.

IV. Quartus, exemplum paganorum et barbarorum. Scribit Ælianus, lib. IV. var. histor. et Alexander ab Alexandro, lib. IV. c. X. Leucanorum legem fuisse, ut si quis, sole occidente, divertentes hospites, notos ignotosve domo arceret, mulctam seu inhospitalitatis pœnam pendere cogere. Apud Homerum rex ipse Alcinous hospites etiam sorte oblatos non aliter ac fratres vult esse tractandos. *Loco fratris*, inquit, *hospes et supplicator est*. Iidem gentiles posuerunt hospites in tutela Jovis : unde Virgilius : *Jupiter hospitibus nam te dare jura loquuntur*. In provincia Camul, Tartarorum regis subjecta, incolæ ad prodigium usque hospitales sunt ; siquidem peregrinos quoscumque vel invitatos suscipiunt. Domum cedit hospiti paterfamilias, uxorem et liberos illi commendat nec ante hospitibus discessum reddit, M. Paulus Venetus, l. I. c. XLVI. oriental. regionum.

His addamus extremos aquilonis populos, quantum a sole, tantum fere a fide remotos. Carolus Gothorum et Suecorum rex antiquus inter maximas leges constituit, ut Gothi et Sueci inter se et maxime in omnes advenas, et peregrinos hospitalitatem observarent : summumque nefas ducerent si quis viatorem tecto arceret : quod si quis facere tentasset et idoneis testibus ter negasse hospitium convictus fuisset, immisso igne ædes ejus comburi jussit, ut ita domibus propriis privaretur, qui earum usum inhumane denegasset. Hinc existimat, id tota Europa vix reperiri promptiorem liberalioremque hospitalitatem, quam apud Suecos et Gothos, Joan. Magnus, lib. IV. c. II. De iisdem scribit Olaus M. archiepiscopus Upsalensis, l. XVI, c. XIII. ex Crantzio : « Quamvis omnes hyperboreæ gentes hos-

pitales sint, insignes, præcipui tamen sunt Sueci et Gothi iis conjuncti, quibus est omni probro gratius hospitium negare transeuntibus : ita ut sit certamen, quis advenam hospitio suscipiat ; cui gratuita liberalitate omnia exhibent hospitalitatis jura, quotquot diebus permanserit egredientemque commendat amicis in itinere quod instituit, commorantibus. » Addit ipse : « Quinimo et jumentorum usum sollicito viatori, quousque voluerit, præbent, ipsumque per compitaviarum alacriter ducunt, utque tali eorum beneficio utatur obsequiis et precibus urgent. » Et quid mirum, si etiam barbari hospitalitatem coluerunt, cum eandem miseris impertiri, lumen ipsum rationis doceat ? Nam ut canit satyricorum quidam :

[Ultimus

*Ærumnæ cumulus, quod nudum et frustra rogantem
Nemo cibo, nemo hospitio tectoque juvabit.*

V. Quintus est brutum animal. Id nobis in exemplum proponit D. Basilius, hom. VIII. hexameron, et D. Ambrosius, l. V. hexameron, c. XVI. cornices, inquam, quæ ciconias hospites, ad sua redeunt tecta deducunt ac dirigunt et veluti turmis quibusdam stipatricibus prosequuntur, atque contra inimicas aves pro eis depugnant et propriis periculis aliena bella suscipiunt. Cujus rei argumentum est, quod nullæ cornices certo temporis intervallo, dum ciconiæ abeunt, consuetis in locis reperiantur : quodque cum vulneribus revertantur, manifesta hæc sanguinis sui voce loquentes, gravium se certaminum subiisse conflictum. Hæc postquam suis verbis narravit Basilius, subjicit : « Audiant hæc homines hi, qui nullo hospitio homines exceptant, januasque suas occludunt et neque hieme, neque noctu solo tegmine peregrinos advenasque suscipiunt. » Sanctus vero Ambrosius subdit : « Discant homines hospitalia servare jura, et ex avibus cognoscant, quid religionis hospitibus sit deferendum, quod obsequium deputandum, quibus cornices etiam pericula sua negare non solent. His igitur januas nostras claudimus, quibus aves etiam animas suas conferuntur et quas illæ consortio prosequuntur discriminis, eos tecti prohibemus hospitio. » Hæc ille, profecto ad confusionem inhospitalium. Si enim hoc aves, quid nos homines ? Si cornices ciconiis specie a se distinctis, quid nos fratribus ? Si illæ exhibent animas, quomodo nos negamus januas ? Si illæ sine mercede, solo naturæ instinctu, occurrunt non etiam nos, qui præmium in cælo expectamus, et tot aliis modis ad hoc instigamur ?

VI. Sextus est præmium et merces virtuti huic decreta. Abraham dum peregrinos recipere se putabat, angelos recepit, et ex sterili uxore filium obtinuit. Loth, quia coegit hospites angelos ad se divertere, meruit ut et ipsi quoque cogere eum effugere Sodomæ incendium. Rahab, Jerichuntina, quia hospitio excepit exploratores Hebræorum, per hoc salutem sibi et domui suæ peperit, Jos. II. Sunamitis, qui Elisæo præbuit hospitium, filium ab eo filique mortui suscitationem impetravit, IV. Reg. III. Zachæus, Martha et alii, a quibus hospitio exceptus Dominus, quam mercedem retulerint, scimus. Discipuli in hodierno evangelio dum ad mensam perbenevole invitarent Christum, redivivum invitarent et videre meruerunt. Carbonius Populoni episcopus (uti refert S. Gregorius papa, lib. III. dialog. cap. XI.) quosdam milites transeuntes hospitio excepit, eosque a Gothis supervenientibus abscondit, et in vita servavit. Quod cum Totilas rex Gothorum audisset, jussit eum ursis objeci eorum toto populo ut ab eis dilaniaretur. Sed ursus in eum immissus ferocitatis suæ oblitus, dimissa cervice lambere ejus pedes cœpit, ut patenter omnibus daretur intelligi, quia erga illum virum Dei, et ferina essent corda hominum, et quasi humana bestiarum : quare populus et ipse rex ad venerationem ejus permotus est. Idem sanctus papa, hom. XXIII. in evang. recenset aliud exemplum de hospitali quodam paterfamilias, qui inter peregrinos Christum suscepit, quod alibi recensuimus.

Leo IX. pontifex, vir mire hospitalis, cum semel ante fores suas leprosum invenisset, eum in lectulo suo collocari jussit ; sed apertis mane a janitore foribus nusquam leprosus comparuit. Creditur ergo est, Christum sub leprosi specie eo loci recubuisse, Platina in ejus vita, anno Domini 1030.

Ex his apparet, quam dixerit Dominus : *Quod unicuique misimus meis fecistis, mihi fecistis* ; nec infrequens fuisse, ut pro pauperibus Christus et angeli susciperentur. « Quemadmodum enim piscator, inquit S. Chrysostomus, homil. II. de Lazaro, jacto in mare reti, piscem quidem attrahit, attrahit autem frequenter et aurum et margaritas ; itidem et Loth (adde Abraham, Leonem et alios) reti captans homines, piscatus est tandem et angelos, quodque mireris, etiam inscius. » Unde S. Ambrosius, lib. I. de Abraham ait : *Qui scis, an Deum suscipias cum hospitem putas.*

VII. Septimus, pœna inhospitalium. Senserunt hanc imprimis improbi Sodomitæ, quod ob violata jura hospitii in duobus angelis igne et sulphure cœlitus demisso vastati sunt, Gen. XVIII. Senserunt et Ægyptii qui dum Israelitis, advenis

et hospitibus suis, bellum inferre moluntur, omnes cum Pharaone in mare demersi sunt, Exod. XIV. Senserunt Cabæni de tribu Benjamin, quorum nemo leviten peregrinum noctu recipere volebat, sed insuper et uxorem ejus constuprarunt usque ad mortem. Idcirco enim a cæteris Israelitis cæsi sunt ad viginti quinque millia, remanserunt sexcenti tantum viri de omni numero Benjamin, civitas etiam illorum et omnes circum viculi succensi, reliquæ quoque civitatis a viris usque ad jumenta percussæ sunt, Judic. XVIII. et XIX. Sensit et anachoreta quidam Galata, qui cum prius ovium pastor esset, contempserat pauperem prætereuntem peregrinum, qui sub dio degens a canibus devoratus est, cum tamen illi commodum fuisset excipere et servare suo tugurio ; factus postea anachoreta hac de re conscius, forsitan ob hujus criminis atrocissimi pœnitentiam, sese a canibus devorandum per Dei revelationem didicerat. Ad eum igitur noctu incogniti leones accedebant, eum ipso cubitantes, nihilque lædentes ; at post triennium, quod sæpe prædixerat, evenit ; nam a canibus discerptus est, cum leonum rabiem impune evasisset. Ita præteritum spir. Sophronii seu potius Moschi, capite CLXVII.

Denique S. Odo, abbas Cluniacensis, cæcos et claudos cœli janitores esse asserebat ; ac proinde, qui eos domum suam suscipere nollet, eum quoque ab ipsis non recipiendum esse in cœlum. Cœlum igitur ex illius sententia simile est arci Sion, cui Jeshuæ non alios defensores proposuisse dicitur, quam cæcos et claudos, unde dictum David eam oppugnantem : *Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos et claudos*, II. Reg. V. Quisquis ergo cœlum expugnare vult, curet cæcos et claudos, pauperes et peregrinos tollere in plateis, et inducere in domum suam. Unde S. Gregorius homiliam citatam ita claudit : *Præbete fratres modo peregrino Christo hospitium, ut vos in judicio non quasi peregrinos nesciat, sed ut proprios recipiat in regnum, ipso adjuvante, qui vivit Deus in sæcula.*

CONCIO VI.

SCHOLA OBLIVIONIS, SEU QUENAM OBLIVISCENDA
CHRISTIANO.

I. Oblivione sepeliendæ mundi illecebræ. — II. Vitia inolita. — III. Patrata opera bona. — IV. Injuriam acceptæ. — V. Res ludicræ. — VI. Curæ superfluæ.

THEMA.

Tu solus peregrinus es in Jerusalem, et non cognovisti, quæ facta sunt in illa his diebus ? Luc. XXIV.

Themistocles, vir inter Athenienses clarissimus

et memoria valentissimus, qui potuit intra annum linguam Persicam discere, ludum litterarium præteriens, interrogavit, quid ibidem doceretur? Cumque responsum esset artem memorie hic doceri, subintulit: *At ego mallem doceri artem obliviscentiæ.* Refert Cic. lib. II. de orat. et Plut. in Græc. apophth. Idemque rursus, cum Simonides artem memoriæ polliceretur: *Oblivionis, inquit, mallem; nam meminisse eorum quæ volo: oblivisci non possum, quæ volo,* Cic. I. IV. de finibus. Non est, auditores, absurda existimanda hæc tanti inter ethnicos viri sententia. Sunt enim quæ Christianus memoriæ commendare, et alta mente reponere debet; sunt etiam, quæ oblivisci debet. Non erit igitur abs re, si non tantum memoriæ, sed oblivionis scholam erigamus. Et vero si hodiernum evangelium bene inspicimus, deprehendemus ibi doctorem posterioris hujus artis. Quid enim sibi vult, quod magister noster Christus in die resurrectionis suæ oblitus esse videtur omnium illorum, quæ triduo ante contigerant in Jerusalem, dolorum et cruciatuum suorum, ludibriorum et sannarum, injuriarum et contumeliarum a Judæis acceptarum, vestium sibi detractarum, spinarum et flagellorum, ignominie crucis, meritorum denique suorum, quibus mundum redemit? Ita enim loquitur in hod. evangelio, quasi horum nihil prorsus meminisset: *Qui sunt hi sermones, inquit ad discipulos duos, quos confertis ad invicem, et estis tristes? Cumque diceret Cleophas: Tu solus peregrinus es in Jerusalem, et non cognovisti, quæ facta sunt in illa his diebus,* respondit ille: *Quæ?* Quasi nihil meminisset. Ecce igitur vobis mirum professorem artis obliviscendi, non minus necessariæ et utilis, quam artis reminiscendi. Ergo in ludum istum hodie eamus, et discamus oblivisci.

I. Oblivioni tradendus est mundus, ejusque illecebræ præsertim, si iis valedixisti, per ingressum religionis, aliudve votum, vel per juramentum in baptismo editum et abrenuntiationem Satanæ, ejusque pompis, factam vel in pœnitentia per emendationis propositum. Scimus vacas illas quæ portaverant arcem, versus Bethsemanes perrexisse recto itinere, reclusis licet domi earum vitulis, nec ad eorum vagitus et mugitus vel minimum attendisse, quasi eorum prorsus oblitæ fuissent, I. Reg. IV. Tales ergo sint imprimis viri religionis jugo adscripti; pergant recta et constanter in cœpto religionis itinere, nec attendant ad parentum et consanguineorum lacrymas et querelas; obliviscantur mundi illecebras tametsi aliquando gustatas; audiant dicentem sibi sponsum suum, Psalm. XLIV. *Obliviscere*

domum patris tui, concupiscet rex decorem tuum. Id quod docere etiam voluit Dominus, cum inter docendum, audiens quæri se a matre et propinquis, respondit: *Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei?* Matth. XII. quasi nimirum tunc oblitus fuisset matris et consanguineorum. Dura in speciem responsio, sed ita respondendum erat ei, qui sermonem Christi interrompere volebat. Amandi sunt parentes, sed perferenda Dei dilectio et religio. Tales deinde sint omnes Christiani suo modo, quia in baptismo renuntiarunt Satanæ et pompis ejus. Unde ait apostolus ad Coloss. II. *consepultos eos esse Christo in baptismo: et ad Col. III. mortuos esse.* Atqui mortui et sepulti omnium mundi illecebrarum prorsus oblitus sunt. Unde Sap. V. dicunt: *Quid nobis profuit superbia? Aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra, et tamquam nuntius percurrens, et tamquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam, cujus cum præterierit, non est vestigium invenire.* Ita ergo per baptismum naviget Christianus, ut prioris vitæ et viæ suæ male peractæ non inveniat vestigium, nec meminerit amplius. *Quid tibi cum pompis diaboli, quibus renuntiasti?* inquit Augustinus, lib. IV. de symb. ad catech. cap. I. Quid tibi cum diaboli præstigiis, sagis et magis vericidis et divinatoribus? Quid cum moribus ethnicorum, Judæorum et Turcarum? Scimus, quid evenerit uxori Loth, quæ dum oblivisci noluit pessimorum Sodomitarum, quibuscum vixerat, sed contra præceptum angeli ad eos respectavit, versa est in statuam salis, ad exemplum aliorum, qui Sodomæ suæ oblivisci nolunt. Quod idem observandum respectu peccatorum in pœnitentia dimissorum, ne, eorum recordati dulcedinis, retrahamur ad eadem repetenda.

II. Vitia inoluta et pravi habitus. Multi eosdem habitus adeo imberberunt, ut exuere impossibile eis videatur, verbi gratia, consuetudinem jurandi et execrandi, ebrietatem incurrendi, mentiendi, detrahendi, ludendi, scortandi, etc. Unde interdum dicunt: *Utinam oblivisci possem hujus vel illius vitii!* Sciendum igitur, ea, quæ ad discimus frequentatione actuum, dediscere et oblivisci posse cessatione eorumdem. Didicisti aliquando linguam Gallicam aut Italicam? Nonne eam oblitus es, dum a multo tempore non es locutus? Scivisti aliquando ludere fidibus vel organo? Nonne rursus tibi exiit hæc ars, dum tibi frequentata non est? Idem usu veniet tibi, si peccatis confessione deletis sic abstineris, ut deinceps non relabaris; fiet enim, ut initio oderis, deinde ab iis paulatim alienus fias, denique eorum impetus jam quasi victor vix sentias, et

contemnas. Hanc oblivionem persuadere nobis voluit Dominus, cum Matth. XXIV. dixit: *Cum videritis abominationem desolationis, etc. qui in agro est, non revertatur tollere tunicam suam.* Quid abominatio desolationis, nisi peccatum super omnia abominandum, et omniaque devastans? Hoc ergo quisquis vidit et abominatus est, adeoque a pristina vivendi consuetudine recessit in agrum et agriculturam animæ suæ: non revertatur ad intuendos pristinos, quos exiit, vitiorum habitus: sive, ut ait S. August. epist. VIII. in ea verba: *Qui profecerat in anteriora, se extendens desciendo in posteriora se respiciat: dicat cum sponsa Cant. V. Expoliavi me tunica mea: quomodo induar illa?* At difficile est hoc, inquis, peneque mihi impossibile. Esto, fieri tamen debet ac potest, vi adhibita. Scimus evelli arbores altissimas, metalla etiam rudia levigari et complanari, saxa guttis perforari. Scimus multos in religione brevi deposuisse habitus malos, temperantes evasisse ex intemperantibus, castos ex impudicis, etc. Quod alii possunt, cur tu non possis? Denique nisi obliviscaris, ut dixi, pravorum tuorum habituum, obliviscetur tui Deus, quemadmodum minatur Hebræis, qui idololatriæ suæ gentilium commercio imbitæ, oblivisci noluerunt, Osee I. cum præcipit prophetæ, ut filiam suam appellet: *Absque misericordia.* Causam enim subjiciens ait: *Quia non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum,* hoc est abjiciam et deseram velut incorrigibiles.

III. Præterea bona opera nostra, labores et passiones pro Christo et regno cœlorum exaltatæ. Hac etiam ratione Dominus loquitur in hodierno evangelio quasi oblitus omnium cruciatuum et laborum suorum, quod eos ob amorem nostri parvos existimaret, paratus plura facere, si necesse fuisset. Quanto vero potiori jure oportet nos oblivisci levissimorum operum et laborum nostrorum, quibus non tam Christo quam nobis ipsis laboravimus, aravimus et occavimus? Hinc igitur ap. Paulus, licet plurima et ingentia pro Christi nomine perpessus, ea tamen oblitus ad futura solum et nova perpetienda se convertit, quasi nihil tum præstitisset: *Sequor, si quomodo comprehendam, etc. Quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum.* Quemadmodum enim stadiodromi, dum in stadio currunt, non respectant, quantum spatii transmiserint, sed quantum superstit ad metam, eoque toto conatu feruntur: ita et apostolus, peracti cursus sui oblitus, quod supererat itineris, solum respiciebat. Cervarium lupum scribit Plinius, lib. VIII. cap. XXII. adeo prædæ avidum esse, ut quamvis in fame man-

dens prædam, ubi alio respexerit, oblivionem cibi capiat et digressus alium quærat. Hujusmodi lupus rapax et insatiabilis, non amplius sanguinis christiani, sed meritorum appetens, erat Paulus; qui licet ingenti meritorum cumulo sibi parato, ubi respexit in prædas alias nondum comparatas, priorum oblitus, totum se ad istas obtinendas contulit. Timuit nimirum apostolus ne sibi eveniret, quod de Pandora scripserunt vel finxerunt potius veteres, quæ cum omnium virtutum dona possideret eaque in pyxidem condidisset, dum ea contemplatura, pyxidem aperiret, omnes sibi elabi passa est, Pierius, libro LIX. hierog. Timuit, inquam, apostolus, ne comparatas sibi virtutes per superbiam aspiceret, omnes simul perderet juxta id Salvatoris: *Receperunt mercedem suam.* In tergum ergo abjecit et oblivioni tradidit reclusitque in corde suo. Apostolum secutus est Sanctus Franciscus, qui sub ipsam mortem, licet bonorum operum plenus, dicebat ad suos: *Fratres usque nunc parum profecimus, incipiamus nunc servire Deo.* Similiter abbas Pambo moriens aiebat: *Sic vado ad Dominum quasi qui nec initium fecerim serviendi Deo, ut habetur in vitis patrum, lib. V. tom. I.*

IV. Injurie acceptæ. Ita enim præcepit Deus expresse Levit. XIX. *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.* Necnon Ecclesiast. cap. X. *Omnis injuriæ proximi tui ne memineris.* Solent aliqui dicere, se velle quidem remittere, sed non oblivisci injurias, similes camelo, qui memor verberum acceptorum dissimulat quidem ad tempus, sed cum opportune potest, ulciscitur, ut scribit S. Basil. in hexam. Sed non est hoc remittere ex corde, quod præcepit Dominus, Matt. XVIII. imo reservare in memoria quasi in sæculo injurias. Audiamus Isidorum Pelusiotam, I. III. ep. XXI. ad Eustach. *Inimicitia in aqua scribenda est, ut statim e mente et memoria effluat: amicitia vero incidenda in æs, ut jugiter menti inhæreat.* Exemplar hujus disciplinæ quærimus? Christum imprimis contemplemur, qui post acceptas innumerabiles a Judæis injurias, ait s. *Quæ?* Quidnam est quod passus sum? Nec minus humaniter egit eum discipulis, quam si nihil unquam in eum desiquissent. Davidem intueamur præclarum Christi imitorem. Hic pulsus regno ab Absalone filio, eo in acie cæso misit Sadoc et Abiathar sacerdotes ad seniores Juda (qui præ cæteris maxime steterant a partibus Absalonis) dicens: *Fratres mei vos, os meum et caro mea vos: quare novissimi reducitis regem? Et Amasæ (qui castris hostium præfuerat) dicite: Nonne os meum et caro mea es? Hæc faciat mihi Deus et hæc addat, si non magister militiæ fueris*